



B. 209.

48  
19

AMPLISSIMI SENATUS AUCTORITATE  
AD  
V I R O S  
CLARISSIMOS ET DOCTISSIMOS  
**M. JOHANNEM GODOFREDUM**  
**K N E S C H K I U M**  
GYMNASII ZITT. ADHUC SUBRECTOREM, POSTHAC  
C O N R E C T O R E M  
A T Q U E  
**M. FERDINANDUM HENRICUM**  
**L A C H M A N N U M**  
GYMNASII ADHUC COLLEGAM VII. POSTHAC  
S U B R E C T O R E M  
DOM. II. ADVENTUS MDCCCII.  
FINITIS SACRIS MATUTINIS  
MAIORUM MORE INAUGURANDOS  
C O N C I O N E M  
OMNI QUA PAR EST OBSERUANTIA

INDIXIT ET ADUOCAVIT  
**M. AUGUSTUS FRIDERICUS WILHELMUS RUDOLPHUS,**  
Gymnasi Director.

---

*Zittauiae Literis Frankianis.*

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF MUNICH

2 10 17 7

MITTELS EINER GEDICHTSAMMLUNG

KINDERSPIELN

DARFEN SIE DAS LEBEN ERLEBEN

GESETZLICHES FÜR ALLE

MEDICINE

WANDELN SOLL

MITTELS EINER GEDICHTSAMMLUNG

KINDERSPIELN

DARFEN SIE DAS LEBEN ERLEBEN

GESETZLICHES FÜR ALLE



XIV.

*De docti hominis officio.*

**V**im docti hominis nuper disputando eo sum deductus, ut doctum nominarem, qui de scientia humana ipsa suo Marte scienter posse iudicare. Hoc enim suscipere ac profiteri nostra etate mihi videtur, qui tempore tam eruditio a doctrina velit praeceteris numerari; quae professio, si quibus videatur arrogantior: reputabunt, prudentissimum quemque et modestissimum illud nomen audire potius, quam ipsum sibi id vindicare, ac praese ferre magis, quid secutus sit, quam quid sit consecutus, profiteri.

Vt autem exinde pateat, quarum rerum scientia doctum metiri ac doctrinæ studiosum instruere debeamus: ista professio diligentius excutienda est, et quae partes sint huius officii, non a ciuitatibus mandati, sed sua cuiusque voluntate suscepiti, curatus et enucleatus differendum. Cuius disputationis opportunitatem mihi valde gratulor. Neque enim quidquam mihi optabilius euenire potuit ipsa huius scripti occasione; nec quidquam huic occasioni aptius mihi succurrit, hac eius materia.

Infinita sunt, quae de scientia humana, de notionibus, enunciationibus et ratiociniis, queri et iudicari possunt. Ad finem nostrum una res et rerum summa sufficit, vt iudicetur, quae scientia probari a nobis et in mentem nostram induci, quae contra ea improbari et reliqui debeat. Ad hoc iudicium tria potissimum sunt necessaria, vt triplex sit docti hominis officium,

cium. Etenim primo quærere debet, quæ mens et sententia verbis insit; deinde quae res scientiae et menti subiecta sit; denique num hæc rei subiectæ cogitatio sit probabilis et assensu digna. Primum officium rem iudicandam exquirit, alterum rei iudicandæ fundamentum eruit, tertium eius rei virtutes et vicia estimat. \*) Primum interpretis est, alterum et tertium philosophi. Nemo igitur doctus est, quin sit et interpres et philosophus. De singulis deinceps dicendum.

Quum duæ sint ad scientiam viae, quarum altera a rerum natura dicitur et contemplatione rerum ipsarum et inuentione, altera ex aliorum hominum institutione et auctoritate: illam quidem nemo non illustriorem breuioremque iudicabit, qua tamen res haud adeo multæ nobis innotuerint; Nam si omnem scientiam nostram excutiamus, maximam partem reperiemus ex aliorum mente et sermone haustram, et a maioribus postmodo natis partim in ipso sermone, partim sermonis ope traditam. Altera, vt vbe-rior est et ad res omnis generis et memoriae pertinet, sic ad omnia non nisi per ambages dicit. Ita inuentorum est et patet eatenus, quoad quisque experientia et ingenio peruenire potest; haec doctorum est et tantum patet, quantum quisque audiendo legendoque potest consequi. In vita ipsa vterque modus cognoscendi quoad eius fieri potest iungendus est. Sed hac in dissertatione difficilior iste, quem saepe doctis exprobrant, vnicce considerandus; non quod rerum ipsarum contemplatio a nobis contemnatur aut inventionis laus deprimatur; sed quod hic modus et fons scientiae ex institutione aliorum doctum propius attingit, ac officii eius ut necessaria sic difficilior pars est. Patrocinatur huic instituto nostro sermonis consuetudo, quæ non eum doctum vocat. qui multa ipse vidit et expertus est et rerum multarum usum habet, aut multa et subtilia ipse excogitauit, qui sapiens vel ingeniosus potius, quam doctus nominatur; sed eum, qui multa ex aliorum sive ore, sive scriptis, accepit.

Recte igitur primum docti hominis officium in eo posuimus, vt *mentem et sententias e verbis expediatis*. Neque enim fieri potest, vt ex aliorum

---

\*) Nuper vir doctus docti officium posuit in conseruanda, augenda et latius sparingenda scientia. Sed primum per se parum, vt doctus sit, quod vulgo reprehendunt, tanquam quoddam scientiae receptaculum; alterum et tertium, si verbi proprietatem sequimur, alienum. Secundum enim non docti est, sed inuentoris; tertium non docti, sed doctoris. Non est inanis hæc subtilitas, sed confusio noxia.

rūm institutione ad rei scientiam perueniamus, nisi eorum, qui rem verbis exposuerunt, mentem assecuti fuerimus. Doctus igitur ante omnia diligenter subtiliterque in eo elaborat, vt omnem cogitationem suam ad auctoris sui similitudinem componat; vt a mente sua cuncta arceat, quæ auctoris animo obuersata non sunt; vt cuncta ipse quoque videat et sentiat, quæ auctori, dum diceret vel scriberet, promta parataque fuerunt; ne plura, ne pauciora, nec omnino alia in singulis auctoris verbis videat; vt, si quid obscurum aut confuse ab illo perceptum sit, ipse eandem obscuritatem et confusionem sua in mente ad tempus imitetur, sed claram suam et distinctam scientiam auctori ne commonet; vt in copulandis seungen-disque cogitationibus eundem ambitum modumque seruet; ne accipiat de omnibus, quæ auctor de singulis vel de nonnullis accipi voluit; ne neget quod dixit, ne dicat quod negavit; ne tamquam certa cogitet, quæ auctor incerta putauit; ne tanquam incerta, quæ certa auctori fuerunt; ne seria, quæ lusit, ne lusum, vbi seria egit; vt diligenter distinguat, quæ probauit auctor et quæ improbauit; vbi auctor ex tempore scripsit et temporis et arti inseruit, vbi contra ea constantem sententiam suam, simplicem, nudam, ac vario studiorum consiliorumque genere haud infuscata expositus; vt ne confundat, quæ sunt dicta et posita per se, et quæ e conditione quadam et lege suspensa. Ut ex eodem, quo auctor, fonte cogitationem repetat, distinguendo, vbi suam sententiam exponit, vbi aliorum siue probatam siue improbatam aut narrando aut imitando exhibet; vbi testis est, vbi famam narrat, vbi coniecturam facit; cauendo, ne ex aliis argumentis et vestigiis rem efficiat, aut alio genere coniecturæ, aliis rationibus, aliquo ratiocinationis modo eliciat; vt omnem cogitatorum ordinem, descriptionem et nexum pariter ac auctor, siue distincte siue confuse, percipiat; denique vt, quod dixi, omnem mentem suam et cogitationem ad auctoris similitudinem diligentissime componat et applicet. Difficillimum quidem docti officium, quod et ingenium docile, subtile, memor, multisque cogitationum formis aptum, et cum multarum rerum scientia obseruationis diligentiam et cogitationis industriam postulat. Debet enim interpres sermonis consuetudinem scire, et vbi auctor vulgarem usum migrat, acute videre ac sentire; debet superiorem inferioremque siue scripturam siue orationem facile percurrere, singularumque rerum in ea obuiarum rationes et respectum mutuum contemplari; debet auctoris mentem eiusdemque opiniones aliunde notas prom-

ta memoria tenere, scopum eius considerare; debet occasiones causasque, quum totius orationis, tum singulorum cogitatorum, in peculiari indole, in seculo, in lingua, in omni doctrina et cultura auctoris, in genere scripti eiusque legibus auctori notis et probatis positas, non modo scire, sed eam quoque vim et effectus in mentem auctoris exputare. Nec licet in omni hac opera aut fingere quidquam, aut temere credere aliis, ne conjectura coniecturis superstruatur, ac omnis de mente auctoris existimatio commentitia euadat. Nec licet *vni* cuidam harum rerum vnicet inhaerere ac omne auxilium ab *vna* exspectare. Nam, quum mens auctoris haud patet oculis nostris, sed mente sola cernatur, ideoque difficillime determinetur: circumspieienda et exploranda et copulanda sunt omnia, quae ad determinationem faciunt; nec prius desistendum est ab opere, quam diligenti examine, eoque commentitiis rebus haud corrupto, repertum a nobis sit, qua ex parte consentiant omnia, qua in contrarias sententias nos distrahunt, et qui factum sit, ut, quum nemo facile serio dicat, que consentanea haud putet, auctor id, quod nos offendit et a cogitatione nostra abhorret, consentaneum esse putaret. Ut igitur in primo hoc docti hominis officio recte versemur, linguae, qua auctor non tam scribendo, quam cogitando, usus est, atatis, qua vixit, rei ipsius quam tractauit, eorum, per quos profecit, studiorum, quae agitauit, cognitione opus est, quo subdit materia cogitationi exegeticae; cui accedere debet, ut mentis humanae indolem et penitissimos eius in cogitando, sentiendo et appetendo motus, easque artes, quibus hi motus reguntur, accurate et vere perspiciamus, ut in istius materia tractatione et excussione perite et apte versemur.

Qui igitur mentem auctoris asscutus est, eamque exponere seu exhibere potest, is interpres dicitur, ac *verus* quidem, nisi aberrarit a mente eius, quem interpretatur; *doctus* vero, si ipse suo Marte iudicare et decernere potest, quae sit vera et certa interpretatio, quae sit probabilis, quae sit aut videatur falsa. Qui autem docti hominis nomen vindicare sibi velit, is, si nullam facultatem praeterea, doctam certe interpretandi facultatem habere debet. Etenim, si ne in hac quidem re, cui omnis reliqua doctorum opera tanquam fundamento superstructa est, suo potest iudicio scienter vti, eius omne reliquum negotium aut ex aliorum auctoritate aptum sit, aut infeliciter cedat necesse est. Iure igitur nostro posuimus, neminem doctum esse, quin sit interpres et is quidem doctus.

Quam-

Quamquam autem hac interpretandi facultate omnis docti opera nititur, in ea tamen non insunt omnia. Imperitorum is error est, qui, quum crassa Minerua rem ipsam cum rei cogitatione confundant, partim percepta mente auctoris ipsam rem sibi videntur perceperisse; partim mente auctoris ad suam rei cogitationem componunt, ac temerario impetu trahunt, rapiunt, deformant; partim cogitata aliorum ex suis ipsorum cogitatis astimantes lepida immodestia peccant; quumque cogitationem aliorum a re ipsa diligenter discernant, suam tamen cogitationem cum re ipsa miscentes soli sibi verum affecuti esse videntur, ac fatis ad commendandam aut infirmandam cogitationem fecisse, ubi aliam cultis et eruditis temporibus, aliam rudibus et in cultis sine ratione idonea adscripterint.

Altera igitur docti opera accedat necesse est, ut ex mente auctoris, ex ea, quam is percepit, rei cogitatione, res ipsa eruatur et intelligatur. Quod negotium nemini mandari potest, nisi philosophis, qui, quum rationis humanae antistites et interpretes et verorum, honestorum utiliumque promi condi sint et esse cupiant, interpreti vero tanquam atriensi suo imperent: non amplius debent in atrio et verbis haerere, aut verborum fraude induci, sed quid verissimum, quid honestissimum, quid utilissimum, ut breui praecidam, quid optimum sit, promere et condere. Illud autem rem expedire et eruere e cogitatis hominum diligentius videndum, quid et quale sit. Facile apparet, detrahenda et demenda esse omnia, quae ad rem cogitatam hominis cogitatio addiderit.

Primo igitur, si qui detrahere rebus cogitatis potestis, quod mens hominibus omnium temporum et locorum communis ad cogitationem rerum addidit, detrahatis et separatis id et macti virtute estote. Nos in sorte humana acquiescimus, istam commentitiam rerum veritatem haud desiderantes. Ineptum enim et noxiun videtur, eam informare veritatis notionem, ut veritas ipsa commentitia res videatur et tollenda sit. Concedamus igitur hanc palmam Scepticis, ut, quod percipi non possit, id percipi non posse viserint. Doctis reliqua est et ardua satis et subtilis opera, ut quid peculiari singulorum hominum indoles, quid linguae cuiusque proprietas, quid locorum temporumque discrimina, aliisque res, quibus hominum cogitata reguntur et afficiuntur, addiderint cogitatis, detrahant. Sortis humanæ mentes igitur rem ipsam ita nominabimus, ut soli rerum in mente comprehensioni

hensioni et *rei cogitatae* eam opponamus. Hic liber, hic homo, quem vide-  
mus, atrectamus, res ipsa est; id quod hoc vidisse, atrectasse, sensisse rem  
ipsam, et mentis ad sensum aduersio in mente effecit et formavit, res est cogi-  
tata; res gesta et omnis rerum vicissitudo res ipsa est; ea vero, quam sibi nar-  
rator aliquis et historicus informauit, huius rei cogitatio res cogitata est;  
quae Pythagorae, Thaleti aliisque philosophis placuisse, quae in horum phi-  
losophorum mente fuerunt, res ipsas voco; sed cogitatio, velut Aristotelis,  
istorum philosophorum decreta continens, et mens interpretum vel recen-  
tissimi cuiusque philosophi res mihi est cogitata; rerum rationem inter se  
et respectum mutuum, earumque ad mentem et sensum et appetitum rela-  
tionem rem ipsam putabimus; sed harum rerum notiones descriptas in  
mente hominum, cogitatas res vocabimus. Non fatigaturus fuisse le-  
ctores tanta loquacitate, nisi verendum fuisse, ne non satis intelligatur,  
quod nunc agitur cum maxime, rem ipsam e re cogitata expedientiam, ac in  
rebus ipsis veritatem, in rebus cogitatis aptam cognitionis rationem qua-  
rendam et exigendam esse.

Constat enim inter omnes, quorum mens non est vnius linguae vincu-  
lis adstricta, eiusdem rei ipsius diuersam esse cognitionis rationem, et di-  
uersa cogitata mentis agitatione effecta. Nec difficile est intellectu, qui et  
cur hoc sit. In rerum natura enim, quum in spatio et tempore, tum in  
respectu rerum mutuo, partim continuitas est, partim discretarum rerum  
multa ac varia cognatio et abalienatio, consensio et repugnantia, similitudo  
et dissimilitudo, ut in iis etiam, quae aliqua ex parte maxime diuersae sunt  
et repugnant, et haec ex parte una cognitione comprehendi nequeunt, ta-  
men intelligi aliqua consensio et similitudo ac fieri comprehensio possit; et  
ut in partibus continuorum constituendis latissime pateat humanae mentis  
arbitrium. Diei noctisque termini cursu solis, vel potius terrae reuelatio-  
ne, ponuntur; horarum terminos mens humana posuit et eos quidem diuer-  
sos. Nos quidem Germani homines in manibus habemus *Finger*, in pedibus  
*Zeen*; Latini et in manibus et in pedibus *digitos* habent; nec quisquam  
propterea existimabit, aut aliter Latinos atque nos fuisse natos, aut verum  
nostris corporis habitum mutari, prout Latine aut Theotisce eum cogitemus.\*)

Quam-

\*) Cogitemus inquam; neque enim in solo nomine, sed in ipsa rei cognitione dis-  
crepancia est. Nam Latinis est duplex genus digitorum, in manibus alterum, al-  
terum in pedibus. Nec ista generis cogitatio commentitia est. Nam multo ma-

Quumque haec talia in iis accident, quae sensibus subiecta sunt, tum in iis, quae sola mente percipiuntur, non modo in diversis linguis, sed in eadem quoque lingua incredibilis est, salua rerum veritate, discrepantia, quam imperiti haud secus admirantur ac ferre nolunt, quam pueri, qui portentum audiunt, Romanos in pedibus habuisse digitos. — Hoc autem notiones informandi, resque cogitatas gignendi componentique arbitrium *necessario* terminatur et coercetur una contradictionis lege; *consilio* vero et *prudentia*, *imperitia* atque *nequitia* multis legibus. Nam qui *libere* cogitat, nulli nisi necessitatis legi adstrictus, liberam is habet veri sui gignendi et procreandi potestatem, ac derideri potest, refutari, quasi a *vero* aberrarit, non potest. Sed alia ratio est, si quis notiones suas componere et formare ita velit, ut sermonis consuetudini alicuius linguae respondeant; ut menti auctoris cuiusdam et praceptioni conueniant; ut sententiae et enunciationes e notionis conformatio ductae stare possint cum enunciatis ratis et communi consensu receptis; ut res cogitata aliis rebus constanter tribui de iis, que dici possit; ut habeat notio ab ipsa rerum natura originem; ut falsa videantur et inepta, quae aut vulgo probantur, aut ab aliquo auctore commendantur. His enim consiliis et studiis, quae partim prudenter partim imprudenter, partim utiliter partim non sine graui damno homines hac in opera sequi solent, omnis ista rerum cogitarum conformatio regitur, ut ipsas non veritate, sed apta ratione inter se differant. Saepius hanc rem in scriptis meis attigi; \*) non possum tamen, quin hoc etiam loco nonnulla exempla apponam et ea quidem ex antiquitate repetita, quae, auctore Quintiliano, *hoc sunt potentiora*, quod ea sola criminibus odii et gratiae vacant. Prosperam igitur valetudinem bonum esse et in bonis numerandam Stoici negabant, Peripatetici aliique philosophi affirmabant. Aegrotare vero nec Stoici nec Peripatetici maluerunt, quam sano corpore esse; nam

b

Stoici

---

ior est similitudo inter manuum pedumque digitos, quam inter digitos in pedibus hominum, et animalium quorundam vngues, quos pariter Zean vocamus. Conf. quae dixi infra p. 10.

\*) Conf Progr. de philologia philosopho *necessaria*. P. I. p. 17 — 24. P. II. totam. vbi multis exemplis rem illustravi. Progr. In wiefern ist Selbstdenken loeblich. p. 21. seq. Progr. de iuene ad v. ac. mat. Part. VII. p. 52. seq. et quae disputauit ad OCELLUM LUCANUM passionem; maxime pag. 376 — 398. de graecae linguae cultura philosophica; ac de philosophorum perficitate. Veniam huius notulac mibi dabunt aequi judices. Malui enim mea ineptius allegare, quam arrogatius nota putare.

Stoici secundam valetudinem in commodis numerarunt; reliqui in bonis quidem, sed pro summo bono, ac fine bonorum, haud habuerunt. Itaque in ipsa re, in bonae aduersaeque valetudinis ad appetitum respectu, eiusque aestimatione, summa omnium consensio, ac omnis dissensus e notione boni aptus fuit. Quid est igitur omnino bonum? Immo haec quaestio non ad iudicandam istorum hominum controvrsiam facit, sed ad disceptandam eam, et nouam quandam sententiam componendam. Id quaeritur, quam quisque eorum sibi informarit boni notionem, et quid in formanda ea secutus sit. Diligentius igitur contemplanti rationem Stoicorum dubium non est, quin elaborarint in eo, ne unquam cogerentur negare quod dixissent, aut dicere, quod negassent; vt summam in decretis et omni sermone constantiam tuerentur. Boni cogitationem igitur informarunt, vt id dicenter bonum, quod constanter, omnibus, omni tempore prodesset, noceret nunquam; quo facto nec bonam valetudinem, nec diutias, nec pulcritudinem, nec honorem, nec alias eiusmodi res in bonis numerare potuerunt, quia poterant incidere tempora, vbi id, quod vulgo prodesse solet, noceat et mentem moresque hominis corruptat. Peripatetici contra aliquae philosophi, ne speciem absurditatis praebarent ac reliquorum hominum ratas turbarent sententias, sermonis vsum sequendum putauerunt et quidquid prodesset, quoad prodesset et si quibus prodesset, bonum nominauerunt. Vtra igitur notio et sententia *verior*? Neutra. Nam quod Stoicorum *fictitia* videtur, quasi nullum omnino eiusmodi bonum reperiatur, id errore eorum accidit, qui prodesse et nocere non e Stoicorum mente, sed ex vulgi sermone accipiunt, ac tali modo notionum descriptions turbant. — In his talibus ANTIOCHUS ASCALONITA Stoicos cum Peripateticis *reconcinere*, *verbis discrepare* censuit; quam subtilissimi hominis sententiam BALBUS apud CICERONEM (de Nat. Deor. 1, 7.) reprehendit, non verborum paruam, sed rerum pernigranam dissensionem sibi visus deprehendisse. Vterque, opinor, vere. Etenim, si verborum dissensionem putamus, vbi in notione et *re cogitata* consensio, in verbis solis et nomine discrepantia est: \*) verborum ista controvrsia haud fuit; nam alia fuit notio et res cogitando composita, ut honesta et commoda apud Stoicos *genere*, apud Peripateticos *magnitudine* et quasi *gradibus* different. Sin verbi controvrsiam

---

\*) Velut, num δένδρον, aut arbor, aut tree, aut Baum dicendum sit; aut illud be-wabren et verwabren in GELLERTI fabula.

siam dicamus, vbieunque in rebus *ipsis* consensio est, sed de vi et potestate vocabulorum, ac de notione vocabulis non indicata sed indicanda disputationur, quo disputationis genere non res *ipsa*, sed res *cogitata* disceptatur: omnis ista Stoicorum pugna haud dubie de verbo erat, quippe qui commoda nominarent, quae alii bona vocarent alioque vocabulo vterentur. Neque enim istas res singulas, honorem, diutias etc. aliter aestimarunt et dignati sunt, sed aestimationem suam aliter sua in mente descriperunt et elocuti sunt. — Reprehensus est ARISTOTELES, quod *κίνησις*, (motum) quae *forma* et species sit, tanquam genus posuerit, eique *γένεσις* et *φόρος*, *ἀλλοιώσις* et *τὴν κατὰ τόπον κίνησιν* tanquam formas subiecitur. Sed ita nil accusatur, quam quod Graece rem suam cogitauit et descriptis, non Theotisce.

Quorū haec? Vt appareat, quid mihi sit rem *ipsum* ex mente auctoris expidere. Sunt autem in singulis rerum ipsarum generibus peculiares ieges sequendae ac varia inde doctorum negotia. Alia est enim ratio eruendarum rerum sub adspectu positarum, alia rerum sola mente comprehendendarum; alia rerum gestarum et in rerum natura mutationum, alia rerum sola mente effectarum, notionum, consiliorum, studiorum; alia earum, quae sunt, alia quae esse debent, alia quae fuerunt, alia quae futuræ sunt. Sed singulares istae leges ad nos iam non pertinent; neque enim hoc loco eum instruimus, qui sit doctus *rei alicuius* arbiter, siue historicus, siue philosophus, siue theologus, sed doctum omnino. Itaque vnic spectandum, quid in omni isto genere reperiatur et necessarium sit. Vnu autem venit in omnibus, vt res *ipsa* ex rei cogitatione eruatur. Primo igitur rem cogitatam ipsam ad leges cogitationis necessarias excutiat, partiumque singularum confessionem et repugnantiam consideret, vt apparet, num quid vere sit cogitatum, an vana quaedam *cogitationis* species, ipsam se interna dissensione destruens, auctorem verborum deluserit; quo quidem negotio sine *logica* ratione et exercitatione, quae *matheseos* studio egregie adiuuatur, defungi nemo recte potest. Deinde quaerat, num res quaedam vera cogitatae rei subsit eique respondeat, an sola haec sit mentis fictio, siue ab imperitia auctoris ac vana *rerum* specie, siue ab eius consilio profecta. Itaque originem et causas cuiusque rei cogitatae, quum in ipsa mente sitas, tum-extrinsicus mentem afficientes, inuestigare debet. Nota igitur esse debent harum causarum genera, vt sciat, quid

debeat investigare, id quod *psychologia* docet; nota esse debet ea regio, quae ipsas causas continet, *hominum et rerum singularum quum ipsarum, tum cogitatarum historia.* Tum rei cogitatae omnem ornatum et fucum, partim cogitando partim dicendo additum, detrahatur, ut sincera cogitatio iudicio et menti pateat. Itaque scire debet, quis sit iste ornatus et fucus iudicium corruptens et transversum agens; cuius rei scientiam *rhetorica* suppeditat et *ars poetica*. Denique quidquid post hanc analysis remanserit in rebus cogitatis discrepantiae diligenter componat et conferat inter se, ac varias rei comprehensiones, descriptiones et acceptiones conquirat et memoriae mandet; quarum pars maxima et efficacissima quum in linguis et sermone hominum, tanquam in materia quadam, sit expressa, ac non nisi e linguarum diuersitate cognoscatur: facile apparet, omne hoc docti hominis negotium, grauissimum illud quidem et maxime necessarium, obiri non posse sine *accurata discrepantium linguarum scientia*. Nam sine hac ne intelligit quidem huius muneric sui rationem, nedum ei satisfaciat, aut facultatem consequatur satisfaciendi. Etenim sine discrepantium linguarum scientia ea notionum conformatio, quam patrius sermo a teneris in mente descripsit, falso vnica et necessaria videtur. Quemadmodum enim imperiti comprehendere non possunt, quo pacto Galli aut Angli *vocabula* sua intelligere possint, nisi Theotisce ea interpretentur: ita plures et discrepantes linguis haud edocti mente comprehendere non possunt, quae alia possit esse *notionum descriptio* et *dispositio* praeter eam, quam *iporum* mentibus patrius sermo impressit. — Qui autem quadripartito huic docti hominis in rebus eruendis officio ita satisfecit, vt vanis imaginibus se haud pateretur abripi, is facile iudicabit, num cogitata res commentitia sit, an ipsa quaedam res, cuius *esse* non in sola cogitatione positum sit, ei subiiciatur? et quae et qualis ista res sit? et quis sit cogitationis modus? Eius mens non rupit cogitationis vincula, sed soluit et vere libera est; non perrupit carcerem, in quem mox retrahatur firmioribus vinculis constricta, sed exiit et publica in luce versatur, propter virtutem suam in libertatem vindicata; is non didicit ferre caliginem mentibus offusam in eaque imprudenter grassari, sed eam sustulit et scientiae lumine illustravit.

Quamquam autem his muneribus absoluta videatur omnis docti opera et prouincia: tertium tamen negotium accedit necesse est, quod in aestiman-

*aestimandis cogitandi modis* \*) cernitur. Quum enim eadem res varie describi in mente possit sine errore, amplius querendum est, quis sit cogitandi modus praferendus et a nobis sequendus; quae quaestio duabus partibus absolvitur, effectum cuiusque investigatione et rerum appetendarum fugiendarum penitacione. Considerare igitur doctos homo debet, quam vim quisque cogitationis modus, quaevis notionum conformatio et descriptio, quaevis lex huic negotio scripta et ad mentis agitationem moderandam adhibita quum in omnem reliquam scientiam nostram, tum in vitam et mores hominum habeat; in qua perscrutatione non in eo debet acquiescere, quod conjectura ex re ipsa probabile est, sed vestigia quoque ex omni historia colligere et temporum discrimina aestimare, ac omni ista rerum scientia deliberando ut, ut, quantum humanae menti concessum est, illa, quae futura sunt et rerum euentus prospiciat. Ad quam virtutem et facultatem, qui *doctam et veram rerum appetendarum fugiendarumque scientiam* et deliberationem haud cupidam adiecerit, is in omni docti hominis negotio et laudabiliter et utiliter versabitur.

Itaque, si comparamus et colligimus omnem facultatem et scientiam ad haec doctorum munera obeunda necessariam: duplarem facultatem arctissime coniunctam reperimus, alteram *interpretandi*, ad discendum; alteram *explorandi*, ad iudicandum; quarum neutra a cogitationis solertia sciungi potest; scientiae autem genus pariter bipartitum, quorum alterum ad *omnes omnino res* pertinet; alterum ad singula rerum genera et singulas scientiae partes, a quibus quisque docti nomine dignus velit iudicari. — Prioris generis est *ratio cogitandi seu Logica*, quam nemo non necessariam putat; *ratio interpretandi seu Hermeneutica*, quam ita possit supervacuam putare aliquis, si artem quandam certo huius *praeceptionis* ambitu conclusam et constrictam cogitet; sed ipsam rationem et *praeceptionem* sive dissolutam et diuissimam, sive ad genera quaedam et certum numerum paucitatemque reuocatam, quisque cernet necessariam; *ratio orationis* sive prosaicae sive poeticae, quam *Rhetoricam* et *Poetiken* vocant; sine his artibus enim nec interpretari, nec rem ipsam e mente auctoris eruere, nec cogitationis modum satis iudicare possumus,

b 3

sed

\*) Res *ipsas* iudicare non docti est proprium, sed hominis. Cultus homo hoc in negotio debet suo iudicio vti; sed quis optimus sit cogitationis modus, id, qui doctus non sit, doctis credere debet, aut in medio relinquere.

sed sophistae et oratori cuique debemus ludibrium; *discrepantium linguarum scientia*, qua destitutus ne id quidem consequi et intelligere potest, quod est docto homini propositum, ut varia rerum percipientiarum ratione perspecta vnius linguae vinculis et verborum controversis libetur; *mentis humanae scientia* (*Psychologia*) qua in omni opera sua et in omni reliqua scientia hactenus commemorata carere nemo doctorum potest; denique *rerum appetendarum fugiendarumque doctrina*, sine qua nemo, non modo doctus, sed ne homo quidem prudens esse potest. — Alterius generis est *historia* cuiusque rei, propter quam cuique docti nomen tribuatur; ideoque *earum linguarum scientia*, in quibus istius rei cogitatio nata et exulta et expressa est.

Quum autem doctum ita instruamus, vt suis oculis cernat et ipse iudicet: istas doctrinas omnes non ita debet dedicisse, vt ex vnius cuiusdam magistri auctoritate pendeat, ac decreta ex vnius ore aut libris accepta, aut ad vnius linguae usum composita, memoriae mandet et ad reliquias res transferat; sed ita debet esse instructus, vt cuiusque rei, in istis disciplinis traditae, si uetus fuerit, docto examine possit rite defungi. Neque enim ad scientiam quandam iudicandam sufficit scire, quam siue Leibnitius, siue Kantius, siue Fichtius optimam iudicarit cogitandi rationem; aut quid siue horum aliquis aut alius quidam maxime in vita expetendum putarit; aut quibus rationibus et verbis mentis humanae indolem et facultates descriperit et comprehendenterit; aut quae optima cuidam visa fuit ratio interpretandi; sed hominum, quicunque ingenio et doctrina excelluerunt, rationes, vias, earumque causas, quantum facultas fert, persequi debemus, ut quid in his verissimum, optimum et temporibus accommodatissimum sit, solerti cogitatione efficiamus.

Iam vero, quum dubium non sit, quin non modo haec doctrinae Graecorum Latinorumque et omnino veterum fundamentis et originibus superstructae sint, verum etiam abstractarum notionum, quae vocantur, in istis linguis multisfariam descripta cogitatio maximam vim in omnem cogitationem nostram habuerit: nec illud dubium esse potest, qui doctus scientiae aestimator euadere cupiat, eum Grase et Latine scire oportere.

Erunt, quibus haec immensa et infinita videantur, et qui nostris hominibus in tanta negotiorum et vitae occupatione tantum oneris impo-

nendum

nendum esse negent. Sed redibunt fortasse in gratiam mecum, vbi reputaverint, non postulari a me, vt quisque omnia ista didicerit ac memoria teneat, sed, si qua res iudicanda ab ipso sit, vt facultatem sit consecutus, omnem istam rerum copiam ad huius rei aestimationem necessariam, sine impedimento a communium rerum ignorantia, comparandi sibi eaque recte vtnendi. Aliud enim est, doctum esse omnino, velut Theologum, Ictum, Medicum, Philosophum; horum quisque satis instructus est, si res ad causae, quam iudicare vult, aestimationem necessarias discere potest, sine interno dispendi impedimento; aliud est, ita doctum esse, vt in doctis sui generis emineat, velut doctum Theologum, Juris docte peritum etc. Hi enim non tantum debent comparare posse, quae necessaria sunt, sed ea quoque prompta parataque habere. Doctus omnino dicere potest: nondum iudico, nondum enim hanc rem satis cognoui et explorau; quia eam cognouit et explorauit.

---

Sed a munere docti hominis omnino ad ea munera mens et oratio conuertenda est, quae nuper *Doctissimis Viris* demandata sunt. Nam **MAGNIFICUS ET AMPLISSIMUS SENATUS SUAE** erga ciues suos humanitatis, SUIQUE erga Gymnasium fauoris hoc etiam extare documentum voluit, vt *Viro Clarissimo et Doctissimo IOHANNI CHRISTOPHERO MUELLERO* huius gymnasii per annos XXIII Correctori per quadraginta fere annos Praeceptor meritisimo, Collegii Seniori, nunc senio et corporis infirmitate confecto, honesti otii emolumentorumque fere omnium fructum vltro concederet; munus *Correctoris Viro Clarissimo et Doctissimo IOHANNI GODOFREDO KNESCHKIO*, Philos. Doct. LL. AA. M. decem annos et sex menses Subrectoris officio eruditissime, peritissime diligentissimeque functo, deferret; denique *Viro Clarissimo Doctissimo FERDINANDO HENRICO LACHMANNO* Phil. Doct. LL. AA. M. qui per vnum annum Seifhen-

hennersdorffii sacro ministerio functus, quum in politissimam hanc urbem tanquam in portum quandam se recepisset, inde a mense Augusto extremo Collega Septimus de hoc Gymnasio optime mereri coepit, Subrectoris partes imponeret.

Quum igitur *PATRES MAGNIFICI* et *AMPLISSLMI* vellent iuberent, ut *Clarissimis Viris*, *Collegis aestumatisimis*, *munerum auspicandorum auctor maiorum more existerem*: in tanta publicorum negotiorum copia ad V. Decembris diem, qui est ipsa Dom. II. Aduentus, Panegyrin indixi et orationes. Vbi enim breui oratione *Viris Clarissimis*, noui muneris honore et nomine nuncupatis, discipulos tradidero, *Clariss. KNESCHKIUS* de *scholarum flore recte diiudicando*; *Clariss. LACHMANNUS* vero de *doctoris scholastici austeritate suaui et solida dicturus* est.

QUOCIRCA SUMMOS RERVM PROCERES HUIUS CIUITATIS MAGNIFICOS, AMPLISSIMOS, VIROS SUMME ET PLURIMUM REUERENDOS, IURISCONSULTISSIMOS, EXPERIENTISSIMOS, OMNESQUE BONARUM LITERARUM FAUTORES HONORATISSIMOS omni quae par est obseruantia et humanitate rogaui, vt d. d. peractis saeculis antemeridianis, ad morem solemnum post mutatas Consulatus vices gratulationum conuenire ac hunc faustissimi omnibus diem praesentia Sua concelebrare velint atque ornare.

P. P. Dom. II. Aduent. MDCCCI.

Gf 4264.8

ULB Halle

002 160 943


3



sb

4018

n. C.



B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
  
Inches  
Centimetres

IS AUCTORITATE

O S  
DOCTISSIMOS  
GODOFREDUM  
H K I U M

SUBRECTOREM, POSTHAC  
T O R E M

U E  
JUM HENRICUM  
A N N U M

LEGAM VII. POSTHAC

T O R E M  
TUS MDCCCII,  
S MATUTINIS  
INAUGURANDOS  
ONEM  
EST OBSERUANTIA

ADUOCavit  
WILHELMUS RUDOLPHUS,  
Director.

*oris Frankianis.*

48  
19